

216. II, 2-18 — Breve de Júlio II, *Romani Pontificis precellens*, pelo qual dispensou no parentesco D. Henrique, rei de Inglaterra, para que se fizesse o seu casamento com D. Catarina, filha dos Reis Católicos. Roma, 1503, Dezembro, 26. — *Pergaminho. Bom estado. Selo de chapa.*

Nos frater Don Garcias à Loaysa divina providentia episcopus Oxomensis sacri consilij secreti invictissimi ac christianissimi imperatoris catholici regis domini nostri consiliarius et confessor ac consilij novi orbis Indiarum presens etc.

Universis notum facimus vidisse inspexisse legisse et diligenter examinasse quasdam litteras apostolicas a felicis recordationis sanctissimo domno Julio Papa secundo in forma brevis emanatas annulo piscatoris obsignatas seu sigillatas non cancellatas non abrasas nec in aliqua sui parte viciatas ymo sanas veras et integras omnique vicio et suspicione carentes quarum tenor et series de verbo ad verbum sequitur et talis est.

Julius Papa II dilecte fili et dilecta in Christo filia salutem et apostolicam benedictionem.

Romani pontificis precellens auctoritas concessa sibi desuper utitur potestate prout personarum negociorum et temporum qualitate pensata id in Domino conspicit salubriter expedire. Oblate nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat quod cum alias tu filia Catherina et tunc in humanis agens quondam Arthurus carissimi in Christo filij nostri Henrici Anglie regis illustris primogenitus pro conservandis pacis et amicitie nexibus et foederibus inter prefatum anglie et charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum regem et charissimam in Christo filiam nostram Elisabeth reginam catholicos hispaniarum et Sicilie matrimonium per verba legitime de presenti contraxeritis illudque carnali copula consumaveritis quia tamen dictus Arthurus prole ex hujusmodi matrimonio non suscepta discessit et hujusmodi vinculum pacis et connexitatis inter prefatos reges et reginam ita firmiter verisimiliter non perduraret nisi etiam illud alio affinitatis vinculo confoveretur et confirmaretur ex hijs et certis alijs causis desideratis matrimonium inter vos

per verba legitime de presenti contrahere sed quia desiderium vestrum in premissis adimplere non potestis dispensatione apostolica desuper non obtenta. Nobis propterea humiliter supplicari fecistis ut vobis providere in premissis de dispensacionis gratia et benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur qui inter singulos Christifideles presertim catholicos reges et principes pacis et concordie amenitatem vigere intensis desiderijs affectamus hijs et alijs causis animum nostrum moventibus hujusmodi supplicacionibus inclinati vobiscum ut aliquo impedimento affinitatis hujusmodi ex premissis proveniente non obstante matrimonium inter vos contrahere et in eo postquam contractum fuerit remanere libere et licite valeatis auctoritate apostolica per presentes dispensamus. Et quatenus forsam jam matrimonium inter vos de facto publice vel clandestine contraxeritis ac carnali copula consumaveritis vos et quemlibet vestrum ab excessu hujusmodi ac excommunicacionis sententia quam propterea incurristis eadem auctoritate absolvimus ac etiam vobiscum ut in hujusmodi matrimonio sic de facto contracto remanere seu illud de novo inter vos contrahere libere et licite valeatis similiter dispensamus prolem ex hujusmodi matrimonio sive contracto sive contrahendo suscipiendam legitimam decernendo. Volumus autem si hujusmodi matrimonium de facto contraxistis confessor per vos et quemlibet vestrum eligendus penitentiam quam adimplere teneamini propterea vobis injungat.

Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvj<sup>a</sup> Decembris M. D. iij pontificatus nostri anno primo. Sigismundus signavit.

Suprascriptio talis est dilecto filio Henrico charissimi in Christo filij nostri Henrici Anglie regis illustris nato illustri et dilecte in Christo filie Catherine charissimi etiam in Christo filij nostri Ferdinandi regis et charissime in Christo filie nostre Elisabeth regine Hispaniarum et Sicilie catholicorum nate illustri. In quarum quidem visionis inspectionis lectionis ac diligentis examinacionis testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendam.

Datum et actum in civitate Burgensis die xj.<sup>mo</sup> Decembris anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Presentibus nobilibus viris et dominis Mercurino comiti Gattinarie cancellario summo. Don Joanne Manuele ordinis aurei Velleris milite et Carolo de Popeto domino de la Chaulx consiliarijs imperatoris Caroli semper augusti testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

Frater Garcias episcopus Oxomensis

(Selo rodado)

Ego Joannes Alemanus baro de Bouclans dominus de Vaite Laveau et Crissey invictissimi et christianissimi imperatoris catholici regis domini nostri consiliarius et primarius secretarius. Dum preinserte littere apostolice per prefatum reverendissimum episcopum Oxomensis. Vise inspecte lecte et ut premittitur examine fuerunt. Presens interful. Ideo

quo magis veritatis testimonium elucescat presentes nomine cognomine  
ac cyrographo meis consuetis una cum sigilli mei affectione munivi.

Anno loco mense die et presentibus suprascriptis.

Joannes Alemandus

notarius

*(Lugar do selo)*

*(R. S. C.)*